

nomine *Sapientia Jaddiab*, interpretati sunt: *Sapientia Philonis*.

His conjecturis nihil deest præter rationes, & petita è re argumenta. Quare in re ambigua à dubio non recedamus, libentesque profiteamur ignotum esse hujus Authorem, quamvis Divinum alioqui Opus sit & canonicum, cum nihil in eo desideretur quod Divini Operis numeros impleat. Divinis est enim institutionibus referentissimum, apertissima de Jesu Christo, ejusque Passione Oracula, ac tandem veritates exhibet æquè justis, ac sanctis recreandis, terrore verò impiis afficiendis utiles. Accedit Ecclesiæ autoritas, qua in

Catalogum Divinorum Librorum cooptatur. Vixisse Authorem post Septuaginta, è quibus etiam tunc testimonia laudat, cum ab Hebræo recedunt, nullus dubito. Scribebat eo tempore, quo allegoriis Eruditi delectabantur. Tandem exercuisse se gnaviter demonstrat in scriptis Philosophorum, & Poetarum Græcorum; qui omnes characteres recentiorum produunt Authorem. Equidem à tate posteriorum crederem Scriptore Ecclesiastici, quem sub Rege Ægypti Ptolemæo Epiphane, & Syriæ Antiocho Epiphane constitui; quare vivere potuit sub Macchabæis.

## DISSERTATIO DE ORIGINE IDOLOLATRIÆ.

**D**uos vel tres Idololatriæ fontes indicat Author Sapientia. Primus est mœsti parentis de amisso acerbo funere filio mixtus amore dolor; quærendo enim solatio simulacrum erexit filii sui, cui unâ cum universâ familia divinos honores impendit; ex familia superstitio in Urbem derivata, & è Numine unius familiæ totius Reipublicæ Deus effectus est (a). Secundus, sculpti alicujus Operis elegantia, quam sanè dignam Divinitatis sedem stulti homines arbitrati sunt (b). Tertius, quod in idem ferè recidit (c), cum nempe simulacrum scitè adeo efformavit; ut proinde Divinitati consecrandum censeret. Calvinus invidiam in Librum Sapientia creaturæ, quò illum è Canone expungeret, autumavit deprehendisse se in assignanda Idololatriæ origine apertissimum in Libro errorem; quare decepti Authoris factum alienum esse à Deo, omnis veritatis Authore, contendit (d).

a Sap. 14. 15.

b Sap. 13. 13.

c Sap. 15. 7. 8.

d Instit. lib. 1.

cap. 11. §. 8.

Honorem Sacri Authoris, simulque Ecclesiæ universæ, auctoritatem Libri tanquam divinam recipientis, vindicaturi, nostram hanc Dissertationem institimus de Idololatriæ origine, in qua ne lato quidem ungue à veritate recessisse Authorem sustinemus, ostendentes noluisse illum omnes Idololatriæ causas recensere, sicut neque primam originem ejus rei indicare contentum, exempla quadam exhibuisse crassioris illius superstitionis, Divinos honores fato jam sanctis mortalibus, atque sculptis marmore simulacris impendentis. Quanquam stultum hoc Idololatriæ genus recentius sit præ altero, quo spiritus, astra, & elementa colebantur. De his ergo in præsentia. Epicurei, & quicumque Religionis naturalis systema sibi fabricarunt, statuant hominem fortuito casu emeruisse, sicut & reliquas Orbis partes universas, eumque fortuito casu & per gra-

das ad usum sermonis, ad leges vitæ civilis, ad cultum Deorum & Religionem pervenisse. Ita ex illis unus sensit Statius Theb. l. 3:

*Primus in orbe Deos fecit timor.*

Et Horatius.

*Jura inventa metu injusti fateare neces-*  
*se est.*

Homines somniorum phantasmatis turbati, ait Lucretius, Deos sibi ad arbitrium fabricarunt (e). Cum autem in somniis spectra quadam sibi obversantia animadvertissent, quæ corporis proceritate justam hominum staturam excederent, sicut & elegantia cæteris præstarent, vera esse quæ videbant rati, Deos sibi constituendos susceperunt. Hinc statua, Tempula, & per universum Orbem Altaria. Aliis interea imposuit certus astrorum motus, fulgor, & nitor, sicut & amplitudo, cujus impares erant naturalem rationem assequendo; quare in eam venerunt cogitationem, ut à potentissimâ quadam re hæc omnia dirigerentur; vel saltem astra totidem essent Numina, quæ homines in suâ continerent potestate.

Sed quantum illi in origine religionis errabant! Non sanè habendi cupido, non timor, non error, non casus Numinis ideam, & potentissimæ rei conceptum hominibus indidit. Hoc enim altâ mente insculptum gerentes, prima Religionis femina è primo ortu referimus. Hæc verò ratione nota gratiâ excluduntur. Quò homines de Numinis existentia sibi persuadeant, ipsi se consulant, tum & creaturas respiciant, ac tandem rationem docentem audiant. Potissima Idololatriæ origo ea censenda est, quæ ex oppressis naturalis rationis igniculis resultavit, rerum divinarum ignoracione frigidique illo torpore, qui homines reddit segiores excolendis il-

illis veritatis seminibus à natura in eorum mente jactis.

Porphyrus vir doctus, cum iniquissimo esset in Christianos animo, simulque intelligeret quantum è re Christianorum, fuisset impium illud absurdum crassumque Idololatriæ commentum, cujus ipse totam sentiebat vim, aliud planè à vulgari diversum excogitavit Religionis systema. Usus est in eam rem autoritate Theophrasti [f], qui primorum hominum Religionem describens, alterius sanè superstitionis ideam ingerit, quam quæ deinde obtinuit. Olim, juxta Theophrastum, nulla erant ad cultum proposita simulacra, nulla operabantur mortales sacra cruenta, omnia aberant Tempula, Ara, & Sacerdotes destinati. Recentiora sunt, addit, nomina, genealogiæ, atque variorum Deorum inter se distinctiones. Unum, primumque rerum omnium principium debita purâque subjectione & cultu agnoscebatur; oblata illi herbæ, lac, fructus; puræ, & infontes manus levabantur ad Cælum; non intermixti liquores libabantur; quisque verò sui erat sacrificii Sacerdos. Hanc religionem Porphyrius probavit, in qua potissimum, putumque ac genuinum Paganismum volebat agnosci. Hæc insuper Religio erat Sapientum & Philosophorum; quare, addit Porphyrius, quam vos impetit, Christiani, Religio populi est vulgaris, & indocti.

f Vide Porph. de Astin. anim. & apud Euf. Præp. Evan. l. 1. & 4. & alibi sa-pius.

Utitur non rarè Eusebius testimonio Theophrasti, & Porphyrii idololatriæ arguendæ simul & ab usibus in eorum superstitione regnantibus, planè oppositis primorum hominum religioni demonstrandis. Sed alia planè erat Porphyrii mens; valde enim cavisset, ut homines ad usus primæ Religionis Veterum Patriarcharum revocaret, uti Adam, Abel, Seth, Henoch, Noe, quos ille ne norat quidem; sed in se suscepit à conflata de multiplicitate Deorum & cruentorum sacrificiorum invidiâ Paganismum vindicare, simulque voluit Paganismum suum reformatum & è vulgari subductum magis magisque commendare. Sed nobis planè non imponet; semper enim contra ipsum asserimus, nullam talem Religionem, qualem ille depingit, ullibi apparuisse; cujus exempla, si quæ fortè invenisse sibi confidat, hæc petita sunt omnia è vera Religione, & veteribus Patriarchis, quibus nihil erat cum Paganis commune. Colebant illi non Cælum & astra, sive confusam primi principii notionem, sed Dominum Deum Omnipotentem Cæli terræque creatorem. Cultus ille longè erat à superstitione, nec hominum arbitrio sed ex Dei præscripto inductus. Frustra Porphyrius aliique laborarunt, quò ab impacta criminis accusatione Paganismum purgarent. Fontes habuit Idololatriæ errorem & licentiam; in decursu accessit stultitia & crimen; devolvitur in impietatem, & atheismum.

g Vide S. Aug. toto libro 7. de Civ. Dei.

Novam de paganismi origine sententiam Philosophorum alii invexerunt (g); male enim congestam tot portentosarum fabularum struem non sustinentes, horrentes

insuper ad objecta de Numinibus crimina, & indigno Diis cultu, simulque molestius ferentes vagantem in incertum eorum genealogiam, commodum sibi duxerunt, si alios habere se dicerent Deos, quam quorum invidia onerabantur; neque enim cultum impendere se profitebantur hominibus, sed astris & elementis; quem enim Jovem appellabant, ipsum esse dicebant Cælum; Neptunus aqua, Apollo Sol, Diana Luna, Juno aer, Vulcanus ignis, & sic de singulis. Sed Astrorum cultus, non minus quam Simulacrorum sive hominum rationi videtur repugnans; imò potius præ hominum detestabilior, præstat enim Creaturam ratione utentem colere, quam inanimum. Sol hominum servituti destinatus est, quare nec homine potiorum meretur honorem. Operam ergo perdebant quicumque fabulam, & Theologiam Paganorum operosâ disquisitione explicandam assumpserunt; qua in re, ait Cicero, ita se habere videntur, quasi se fabellis futilibus & stultis serias explicationes dare laborarent (h). Paganorum Religio tumultuario opere consistit, neque enim Sapientes & prudentiâ præstantes viri totum fabricarunt systema. Primus ejus Author nullam habuit certæ systematis ideam. Vulgus enim indoctus & supersticiosus Idola primus invexit; Sacerdotes, lucelli cupidi, in absurda opinione gentem foverunt; accesserunt Principes politicâ ratione ducti; Sapientes adjecti sunt, metu ne invidiam in se populi crearent: quanquam, ut vera dicam, nunquam illi seridè & datâ operâ idololatriam amplexi sunt, cujus tamen caeremonias, turbam sequuti, exquebantur, thure Deum colentes exterius, quem intus in mente deridebant.

Erant inter eos, qui rudem illum cultum vulgo relinquentes, ad spiritualiamentem elevabant; quare cum simulacro Jovis coram prosternerentur, mentem tollebant ad Deum, quem Cæli Creatorem agnoscebant. Quo simul factò, & se è reliqua turbâ subducere, & cultum suum è communi fœce vindicasse se autumabant (i).

*Felices illi, qui non simulacra, sed ipsos, Quique Deum coram corpora vera vident. Quod quoniam nobis invidit inutile fatum, Quos dedit ars, votis effigiemque colo. Sic homines novere Deos, quos arduus Æther Oculit, & colitur pro Jove, forma Jovis.*

Quod tantundem esset, ac si Jupiter ubicumque ille inveniretur, plus aliquid mereretur honoris, quam ejus simulacrum, vel fas esset elatâ ad originalia mente, cultum impendere in virum corruptum & impium. Hanc enim habemus ideam de Jove cæterisque Numinibus ex historia & ipsa Paganorum Theologia.

D. Clericus (k) vetustissimum idololatriæ genus illud habendum esse contendit, quod Angelis summum impendit honorem. Horum sanè cultus vetustissimus est sine controversia; cœpit autem primum ex debita illis observantia, quam sibi beneficiis no.

h De Nat. Deor. l. 3. Magnam molestem suscepit primus Zeno, deinde Chrystipus, Commentitiarum fabularum reddere rationem. Vide si placet Chæremone. apud Porphyrium laudatum ab Euseb. præp. l. 3. c. 3. pag. 92. 93. Item pag. 100. 101. 108. 111.

i Ovid. l. 2. de Pont. Epist. 8.

k Cler. Index Philolog. ad hist. Philosoph. Orient. in voce Angelus & astra.



nobis impensis opeque præstita conciliaverant. Sensim hæc observantia degeneravit in cultum veluti secundarium, & cum certâ quadam subordinatione ad præstitam summo Numini venerationem; tandem in cultum nulli subordinatum & absolutum. Eodem cum Angelis censu habitæ sunt animæ corporibus solutæ, maximè Principum. Venit deinde in mentem, num animæ istæ, vel Geniè de corpore separati Astris quibusdam conjungerentur, quorum essent veluti anime, eaque deinde opinio obtinuit. Diluculo apud Orientales Angeli innotuerunt, quibus nihil frequentius in eorum Theologia, nec rarius in S. Scriptura. Ex Oriente in Græciam invexerunt Pythagoras & Plato, qui in ea fuerunt opinione, ex aere sive Cælo animas in corpore demitti, atque ad propria statim remeare post corporum resolutionem. Astra verò animâ prædita esse habebant persuasissimum; & in ipsa Scriptura popularia quædam dicta deprehendimus, quæ huic opinioni favere videntur. Hinc astra colendi ansa data est. Ex astris translatus in Reges cultus; qua enim observantia in viventes subditi tenebantur, hanc neque post eorum decessum deposuerunt. Ita sensim adoleverunt cultus Beli Regis Babylonis, Osiridis Regis Ægypti, Jovis Regis Cretæ.

Vetustissimum primumque Idololatriæ fontem constituit Vossius de Idololatriæ. l. 1. cap. 1. in recepta de duplici principio, bono nempe & malo opinione. Cum enim bonum æquè & malum regnare in mundo homines animadvertissent, nec uni eidemque Numini ambo illa deberi arbitrarentur; vix enim fieri posse rebantur ut è bono Deo tanquam fonte malus esset rivalus; duo æqualis potentia, æterna pariter, sed indolis planè oppositæ numina invexerunt, quorum illud malo, alterum bono præfesset; mutuo insuper inter se committerentur, alterum altero destruerentur. Ex utriusque similitudine quæ & bello factum est, inquit, ut tandiu mundi creatio differretur; neque enim prius commissum est, ut mundus prodiret, quam ut bonum illud Numen malo alteri prævaleret; sed victus licet malus ille Genius, creatum opus omni, quo potuit, malo aspersit. Hoc vetustissimum juxta Vossium tum Paganæ Superstitionis systema, cum prima absurde illius Religionis origo.

Huic semel inductæ Religionis altera accessit, cultus nempe spirituum & maximè Demonum, ac tandem animarum Heroum. Conjecturas hæc suas nullo exemplo sicut Vossius; nec enim certum aliquid in re vetustissima suppetit, sed conjecturas conjecturis tantum confirmat.

1 Alban. orat. contr. Gent. n. 8. 9. 10. Euf. præp. l. 1. cap. 6. August. de Civ. Dei l. 7. c. 33. & 39.

Rem totam Patres (1), qua parte moralem respicit, considerantes, scitè animadvertenter, investam ex peccato & corruptione hominum in Mundum Idololatriam. Elata mentis tumor, effrænis in voluptates licentia, & omnis impatiens voluntas imperii, totidem idololatriæ fontes habendæ sunt. Quandiu enim homines igniculos rationis, atque amoris & timoris

Dei prima semina foverunt, & persistere in obsequio, & cavere à tanto crimine, ne debitum Creatori cultum in Creaturam transferrent, visi sunt. Sed vix laxatis arbitrio frenis, ut se quocumque ferret voluntas, rapi permitterent, statim pro cuiusque genio Numina invecta, quæ fovere voluptates, non cohibere timore & autoritate suâ possent. Religionem sibi commentitiam formarunt, legesque præstituerunt injustas. Cum enim partim ab insculptâ in mente Numinis ideâ sese liberare non possent, partim verò amore licentiæ raperentur, quam habebant de vero Numine notionem, debitumque in illum cultum ad sensibilia & temporanea transfulerunt. Confusâ interim & vagâ retentâ ideâ Summi boni, supremæ bonitatis, recti ordinis, ejusque sapientiæ, quæ omnia dotes sunt peculiare Divinitatis, Dei nomine prodigâ liberalitate res illas donarunt, in quibus primores aliquas lineas ejus excellentiæ deprehendisse sibi visi sunt.

Sanior Scriptorum pars censet, Astra prima omnium honores sibi Divinis merito excellentiæ suæ, cui Divinum aliquid inesse videretur, sibi à stultis hominibus vindicasse; certus nec interruptus motus, nitor constans, beneficia in usus hominum collata longè plurima, ipsa animantium & plantarum conservatio crassiores illas mentes rapuerunt. Hæc sanè Numina erant elementaria prædita, commoda, utilia, quæ nihil exigebant, vetabant nihil, genio indulgebant, nullumque voluptatibus imponebant frænum. Opportuna sanè Numina mortalibus licentiæ amantibus, & voluptatum cupiditate raptis. Astrorum cultum ponè sequutus est elementorum, ignis, aquæ, aeris, terræ, ventorum, cuius inveniendi iisdem ducebantur rationibus. Plus nimio earum dotibus rapiebantur mortales, & beneficia ab illis repensâ majori obsequio compensata voluerunt. Accessit de eorum natura ac primi rerum omnium principii ignoratio: Hæc omnia impulerunt homines, ut in eodem Numinum censu elementa cum Astris cooptarent. Commodissima erat Religio, & è re cupiditatis fuerat, si Deos sibi proponeret ad suum arbitrium mutosque.

Neque is licentiæ terminus: translatum Dei nomen rebus inanimatis, ut amnibus, sylvis, fontibus, datum est animantibus, quæ utilibus, quæ perniciosis, illis in gratiam accepti beneficii, his nocerent. An impensus hominibus cultus brutorum & elementorum honorem præcesserit, in medio relinquimus. Sed certum statuimus & inconcussum, hosce omnes cultus superstitionis remotissimam sibi vindicasse antiquitatem, sicut & transgressis semel eâ parte rationis limitibus, nullam servarunt homines ultra regulam & modum. Quidquid succurrebat, huic statim offerebantur thura: nemora, lapides, metalla, bruta, membra ipsa corporis humani (m), & turpissima etiam vitia consecrata sunt. Ita Venus turpes voluptates sacro nomine velavit; ultio & ambitio in Marte culta est; crapulam Bacchus in Aras extulit.

m Alban. Orat. contr. Gentil. n. 9.

Cul.

Cultus hominibus impensus plures habuit causas, e. g. amor Sponsæ in Sponsum. Ita Venus Adonidem celeberrimum totius Orientis Numen, Isis Osiridem in toto Ægypto inclytum consecravit. Timor etiam superstitionum Regum, sive amor in mortuos, homines vel gratos pellexit, vel assentatores impulit, ut bonos maloque Principes in Aras extollerent. Metus divinos honores impiis, amor bonis conciliavit. Aliam ejus rei originem indicavit Sapientia 14. 15. nempe amorem Patris superstitis in filium immaturo fato preceptum. Afflicti enim cordis solatium questurus, exprimentam sibi filii imaginem curavit, quo coram prostratus, quod Dei erat in mortalem hominem contulit. Ita planè Synophanes Ægyptius inter Deos habendum curavit filium suum (u), & Cicero idem sibi præstandum sumpsit cum Tulliola filia sua, quam omnium primus veluti Numen invocandam suscepit (o).

n Dinophan. Lacedem. apud Fulg. de Diis gentium int. o Tull. apud Lat. l. 1. cap. 15. de fals. sup.

p Gen. 4. 26. As buchali sobeschen adonai.

q Epiph. de hæres. l. 1. Suidas in Sarug.

r Antiq. l. 1. c. 9.

s Gen. 31. 19.

Sed quo primùm tempore superstitione incæpit, quibus deinde gradibus crevit? Autmarunt Rabbinii, idololatriam ante diluvium obtinuisse, unumque fuisse ex criminibus, quibus Deus provocatus aquas diluvii immisit. Consonat hæc Judæorum opinio idea, quam subijciunt Sacra pagina, & Prophani de præfisis illis Gigantibus, viris audacibus, tumidis, impudentibus & procacibus. Exponunt in eum sensum locum Geneseos [p], quem è Textu originali ita reddunt: Tunc captum est prophanari nomen Domini. Sed interpretatio illa nonnisi fermè in Scholis Rabbinicis proponitur; aliter enim Patres & Interpretes Christiani sententiam exposuerunt. Græci legunt: Hic speravit invocare nomen Domini; Aquila: Tunc captum est invocari Nomen Domini, sive distingui nomine Domini. Eo scilicet titulo glorioso homines Dei servitii addicti ab impiis distinguebantur. Filii Seth & Enos communi Filiorum Dei nomine, posteri Cain. Filii hominum vocabantur. Hic posterior sensus priori præstat. Nec tamen inde aliquid inferas, quasi nulla ex tunc idololatria obtineret; sed nihil inde pro illa inferatur.

Patribus nonnullis (q) invectæ primùm idololatriæ author post diluvium creditur Sarug avus Thare, & à Noemo septimus; sed hujus opinionis nullum habemus documentum. Difertè quidem Josue 24. 2. 14. asseritur, Thare patrem Abrahami, & ipsum Nachor Paganorum sacris addictos fuisse; paria etiam de Abrahamo insinuat; undè facilis conjectura vetustissimam esse mali illius originem, quippè quòd jam indelèntè latèdè obtinisset. Idem ante nos animadvertisse Josephus visus est (r), tradens Abrahamum omnium primum singularem Deum prodignasse, cuius unius manu fabricatum Universum steteret. Avitam hanc superstitionem servavit familia Nachor, regionem Transseuphratæam incolens, quemadmodum ex sublati furto à Rachele Idolis seu Teraphim Labani patris sui intellegimus [s]. Facile etiam concedit sanior Patrum & Interpretum pars, Abrahamum

ejusque parentem ceptum diù ante ipsos errorem sequutos fuisse. Fateor quidem, aliis de Abrahamo aliam steterisse sententiam (t), avitam ab illo sedem desertam sustinentibus, persecutionis ea de re in se concitata evitandæ gratiâ; sed ea non asserunt suæ opinionis documenta, quæ invitos cogant.

Nemrod robustum illum venatorem, juxta phrasim Gen. 10. constitutæ Idololatriæ primum authorem receptior sententia tenet. Vir ille omnium mortalium primus, ait Josephus (u), homines in Deum amavit, ad condendam Turrim Babelicam temerario ausu hortatus. Fertur & ignis cultum, qui longè etate mansit, in Chaldæam invexisse (x); adduntque in eundem ignem injectum Abrahamum divino prodigio illæsum recessisse (y). Harum tamen ferè omnium traditionum sublesta est fides, quippè quæ ex Rabbinorum traditione derivatur. Quamquam verò non inviti credimus Nembrodam inter præcipuos turris Babelicæ hortatores fuisse, nullo tamen argumento persuasum habemus, invectæ in Chaldæam idololatriæ authorem habendum, licet fuisse author potuerit; neque enim hic de eo, quod fieri potuit, sed de eo, quod factum est, agimus.

Alii Idola repetunt ex Cham filio Noe (z); alii ex Chanaan ejus filio (\*). Ferunt Cham ipsissimum esse Zoroastrum totâ antiquitate celebratissimum; æquè tamen iis, qui de illo agunt, ignotum. Cham authorem dicunt magiæ, & veneficarum artium, quæ ad illam referuntur, adduntque Chanaan superstitionem provexisse & cultum Idolorum per Phœniciam, & in Chananæos posteros suos, ex quibus authoribus longè lateque per Orbem propagata fuit. Sanchoniato apud Euf. Præp. l. 2. systema exhibet propè absolutum Theologiæ Phœnicæ, quo cæpisse in regione idololatriæ ferè ipsi mundo coæva traditur. Quantum verò ad eos, qui Cham, & Chanaan authores idololatriæ malunt, cum dicti sui nulla afferant documenta, certam sanè à nobis fidem non extorquent; de Sanchoniato autem scimus confictum credi à Porphyrio Scriptorem, qualem nunquam rerum natura vidit.

Nec meliorem sanè merentur fidem asserentes Ninum Assyriæ Regem mortalium omnium primum homines consecrassè [a]. Ninus, inquit illi, Templum patri suo Belo excitavit, quod inviolabilis asyli privilegio donatum voluit. Sed Ninus Judicibus Israel suppar erat, juxta Chronologiam Usserii (b); quare non potuit primus invectæ idololatriæ author haberi, quippè quæ vetustior haberet originem non in Ægypto tantum, sed & in regione transeuphratæa, quemadmodum ex Teraphim ab avita domo à Rachele sublatis (c), & à Jacob unâ cum aliis idolis à familiaribus suis, è regione transeuphratæa delatis, in Chanaanitide sub terra desossis (d) intellegimus. Tandem in superioribus innumis, Idolorum cultum in Mesopotamia in domo Thare, ejusque filii obtinuisse. Maneat igitur certum, diu ante

t Achior apud Judith 5. 6. 7. 8. Hebrai plebrique.

u Antiq. l. 1. c. 5. Vide Aug. l. 16. de Civit. c. 4. x Hugo Victorin. in Gen. 10. y Rabb. in Beveschit. Rab. & Hieronymus QQ. Hebr. in Gen.

z Cassian. col. lat. 8. c. 21. \* Lat. de fals. ja Relig. l. 2.

a Ambrosiast. in cap. 1. Ep. ad Rom. Cyril. contr. Jul. l. 3. Hieron. in Osee 2. Euf. Chronie. b Regnum B. li confert ille ad A. M. 2682. & Nini ad 2737. c Gen. 31. 19.

d Gen. 35. 4.